

Annus Christi 773. 774.

Hadriani Pont. 2. 3.

Caroli M. Franc. Reg. 6. 7.

Carolo in
Italiam
profecto,
Saxones
rebellant.
Ann. Franc.

Sed rerum status adhuc fluctuans abruptusque; quando à tam prosperis initijs Carolus altero mox anno bello Italico avocatus, quod adversus Longobardos, eorumque Regem Desiderium vexatorem Romanæ Ecclesiæ, rogatu Hadriani Pontificis, suscepit. Per hunc Caroli discessum Saxones, factâ procerum conspiratione, Eresburgo Francos ejiciunt. Inde in Hassiam progressi, fines regionis ferro flammâque devastant. Tum Frislariam delati, Basilicam, quam D. Bonifacius construxerat & dedicârat, subjectis ignibus incendere aggrediuntur; tanquam fani sui Eresburgi ruinas ulturi, fontemque Evangelij obstructuri. Verùm injectâ divinitus trepidatione, incendiarij ceterique averfi, cœptumque hoc facinus intermittere compulsi, post conquisitos ad necem Sacerdotes, turbatosque Christianorum cœtus, cum præda intra suos fines regressi sunt. Quæ ubi Carolo nunciata, jussit exercitum tripartitò ire in Saxoniam. Atque is incendijs & direptionibus vicinas regiones depopulatus, complures etiam Saxonum, qui se in armis obtulerant, cecidit, & cum ingenti præda paulò post trans Rhenum redijt.

Annus Christi 775.

Hadriani Pont. 4.

Caroli M. Franc. Reg. 8.

Sed à Carolo reduce ad fidem & obsequium reducuntur.
Ann. Franc.
Vetus Poëta.

At Rex ex Italia reversus in Germaniam, irâque justâ plenus ulciscendi perfidiam Saxonum, statuit bello gentem persequi, dum aut victam Christianæ religioni submitteret, aut captam sedibusque suis avulsam (quod Tiberius & Constantinus M. fecerat) per alias regiones dispergeret. Quam in rem Duriaë conventum Episcoporum ac procerum totius Franciæ Germaniæque indixit; ex eoque, quòd bellum omnes approbassent, cum exercitu Rhenum transgressus primum Sigeburgum ad Ruram castrum expugnat; ejectoque istic præsidio Saxonum, Eresburgum accelerat. Id quia à Saxonibus destructum erat, reparat munimentis, & præsidio Francorum firmat. Inde ad Visurgim movens Brunsbergam obsidet, castrum videlicet ex edito monte Huxariæ imminens. Ibi cum in adversa Visurgis ripâ Ostfali Saxones starent armati, Carolo transitum prohibitori; Rex hostes aggressus in fugam abjicit, magnâque cæsum clade obterit. Inde ad Ocrum fluvium ducto exercitu, Hesso dux cum primoribus & Ostfalorum multitudine supplex occurrit Regi; cui postquam obsides